

00 662

294²
qm.



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
QUORUM UNUS
Surditate, Tinnitu aurium, & Gra-
vitate auditus,

ALTER

Narium Hæmorragiâ

LABORAT:

QVAM

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

Viri doctrinâ & experientiâ clarissimi;

D. HENRICI REGII,

Reip. Vlrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit

ELBERTUS GOYKENS, Amstelo-Batavus.

Ad diem 6. Decembris horâ locoque solitis.



Natura & Industriâ

TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad.
Typog. Anno 1648.

*Doctissimo, vigilantissimo, multaque ex-
sperientia clarissimo Viro ac
D O M I N O,*

D. HENRICO REGIO,
Medico & Philosopho
exactissimo, Reipublic.
Vlrajectinæ Poliatro ,
Medicinæ ac Botanices
Profess. dignissimo, præ-
ceptor meo meritissi-
mo , plurimumque co-
lendo ,

*Hoc exercitium Medicum ,
Eo quo decet affectu ,*

Dedicat & offert.

ELBERTUS GOYKENS.



M E D I C A T I O V I R I
 Surditate, Tinnitus aurium, & Gra-
 vitate auditus

L A B O R A N T I S .

I.

Vir triginta duos annos natus, postquam diu crapula se fatigasset, incidit in tinnitus aurium, quem postea, ja à sex mensibus, infecutus est sinistræ auris primò gravis auditus, & deinde surditas. Huc jam accessit tinnitus & gravitas auditus auris dextræ.

II.

Afficitur in hoc ægro utraque auris secundum nervos auditorios, puod ex surditate, gravitate auditus, & tinnitus aurium est manifestum.

III.

Morbus sinistræ auris est obstructio vel compressio nervi auditorii, ab humore pituitoso facta, quæ auditus privationem ibi inducens, *surditas* dicitur. Dextræ verò auris morbus est intemperies humida crassa & flatulenta nervi auditorii, quæ imminutum auditum, & tinnitus sonum, in ea excitans, *gravus* *auditus* & *tinnitus* aurium nuncupatur.

IV.

Causa procatarctica horum morborū est crapula, quâ hic vir se diu fatigavit. Inde enim pituitosi in toto corpore humores, ex cruditate ex eo natâ, fuerunt geniti, qui, in vasis cerebri conteni, causam *antecedentem*; ex vasis vero in nervos & vicinas aurium partes effusi, causam *continentem* horū morborum & symptomatum constituunt causam.

V.

Dum enim humores isti, propter crassitatem suam, & debilitatem cerebri calorem, inflatus circa nervum auditorium convertebant, impingebant illi vehementius in nervi istius fibrillas atque etiam tympanum, atque hinc motu suo excitabant

G g 2

tin-

tinnitus sensationem; ii vero postea leviter circa autem sinistrā
in, crassati, & in nervorū sinistræ auris cavitates impacti, primū
nervorum fibrillas leviter ibi compresserunt, & obturarunt, at-
que hinc ortus est gravis sinistræ auris auditus; ab iis verò, po-
stea ibidem magis auctis & incrassatis, tanta nervi auditorii cō-
pressio & obstructio est orta, quæ motum omnem, à sonis ner-
vis impressum, ad cerebrum deferri impediens, surditatem in
ista aure excitavit. Humotibus verò ad nervum auditorium
dextræ auris delatis, ibique partim in flatus conversis, & in ner-
vi istius fibrillas vehementius impingentibus, tinnitus; in ner-
vum verò nonnihil impactis, & fibrillis nervi iis nonnihil com-
pressis vel obstructis, gravis auditus dextræ auris etiam super-
vénit.

V I.

Quoniam hic affectus jam sex duravit menses, & paulatim
incrementum sumvit, metus est, ne ob diutinam illam moram,
materia ita nervo auditorio sinistro sit affixa, ut nunquam inde
tolli possit, & surditas ibi maneat perpetua. Et quia cerebrum
hic valde est affectum, metuendum ne auctis humoribus, sur-
ditas etiam dextram aurem occupet.

V II.

Quia tamen hæc predictio non est necessaria; ideoque Cu-
rariionem inchoandam existimo. Eaque consistet in causæ pro-
catarcticæ, antecedentis, & cōtinentis ablatione, intemperie-
que per contraria correctione.

V III.

Primo itaque purgetur æger bis terve his pilulis:

℞ pil. cochlear., sine quibus eſſe nolo an. scrup. f.

scammonii gr. xij. cum syr. ros. sol. q. f.

F. pilulæ, N°. v, mane sumendæ,

& singulis septimanis bis repetendæ.

Singulis etiam mensibus admoveat tribus diebus conti-
nuis cucurbitulas sine scarificatione post aures, & utrinque in
scapulis, & humeris; ut hac ratione humores ab auribus revel-
lantur, & ex iis educantur.

Uta-

Utatur etiā mane & vesperi lotionib. pedum cū camomilior, meliloti, maioranæ, hylopi & rorismarini decocto institutis. nocturno tēpore talē cuc uphā capiti imponatur.

R. rad. iridis florent. vnc. s.

calami aromat., cyperi, acori an. dragm. j.

fol. sicc. majoranae, melissæ, salviae

rorismarini an. m. s.

flor. stechad. arab., spicenardi an. p. j.

cinnamomi, macis, cariophyl. benzoini an. dragm. s.

Omnia cum pulverem redacta excipiantur cotone moschato &

& cum panno serico interpuncto

F. Cucupha, noctu gestanda.

Interdiu sub pileo in capite gerat cucupham ex corio hispanico, quales jam in frequenti usu esse inter juvenes & senes observamus,

mane jejunus, & vesperi, sub horam quartam, hoc utatur masticatorio :

R. rad. pyrethri, angelicae, Zedbariae, an. dragm. j.

sem. staphid. agriae, synapi,

nucis moschatæ, fol. sennæ an. dragm. s.

Pulverisentur & addatur parum mastiches, ac cum cere q.

j. formentur Globuli masticatorii,

de quibus masticetur unus prono capite,

frequenter expiendo.

Noctu dormitum iturus auribus hanc aquam indat :

R. aq. fæniculi,

sem. carui post olei extractiouem remanentis an. vnc. j.

spirieus juniperi vnc. s.

Misce & de hoc liquore instillet aliquantulum in aures, addens-

do semper guttam fellis carpionum; & postea sinat effluere,

ac deinde indat auribus cotonem, in quo moschus fuit servatus,

vel in quo moschi pulvis est dispersus.

IX

Mane suffitum etiam auribus excipiat per infundibilem, ex hoc calido decocto;

G 3

R. fol.

R. fol. lauri, ruta, origani, hyssopi, majorana an. m.j
ab sinthii, menthastris an. m.s.

flor. stachad. celtica m. j.

baccar. lauri, juniperi an. vnc.f.

sem. anisi, feniculi, carui, cymini an. dragm.j.

Decoquantur in vino albo q. l. ad tert. part. consumtionem, &
halitus calidus aure per infundibulum excipiatur.

X.

In aere versetur calido & sicco. Victus sit tenuis, & paucus,
& famem aliquando sustineat. vitet repletionem, & omnes ci-
bos crassos & tumores, qualis caseus & legumina. Cibi condi-
antur semine anisi, feniculi, cymini petroselini. Potus sit vi-
num & cerevisia mediocris. Exercitium sit moderatum. Alius
sit soluta arte vel natura.

M E D I C A T I O J U V E N I S

Hæmorrhagiâ Narium

L A B O R A N T I S.

I.

JUvenis robustus, viginti duos annos natus ex intemperanti-
ore diæta incidit in febris synochâ, ardore febrili continuo,
sed blandiore, sese manifestantem. Hic postquam aliquoties
post venæ sectionem eslet purgatus & julapiis convenientibus
alteratus, ex muliercularum consilio sumvit medicamentum,
nescio quod, vomitum ingentem, cum rosione ventriculi,
excitans; quem infecuta est tanta narium hemorrhagia, ut plus,
quam 4 librae sanguinis exiis jam sunt evacuatæ; eaque vires ita
sunt debilitatæ, ut jam animam agere videatur.

II.

Præterquam quod in hoc ægro à febri afficiatur cor & to-
tum corpus, afficiuntur ejus ventriculus & nares, quod ex vo-
mitu, & sanguine è naribus tam copiose fluente, est manife-
stum.

III. Mor-

III.

Morbus præcipuus, qui ipsum jam potissimum affigit, est diæresis & diapedesis vasorum narium, quæ, copiosum sanguinem ex iis emitentes, *Hæmorrhagia narium* appellantur.

IV.

Causa procatarractica hujus morbi est intemperantior illa diæta, qua copiosus sanguis in corpore genitus, corruptelamque certam febrilem contrahens, ac synocham febrim producens, antecedentem hujus morbi constituit causam. Is vero vomitorio assumto vehementius agitatus, & in naribus vasorum diæresin & diapedesin excitans, copiosissimumque illum sanguinem ex iis effundens, eoque vires ægri summopere prostrans continens, hujus morbi & symptomatum est causa.

V.

Morbus hic propter prostratas ægri vires, est periculosissimus. Ideoque neglecta ad tempus febrilis syncho quæ forsan hoc sanguinis fluxu cessabit, curatio ejus protinus est aggredienda.

VI.

Eaque in humorum ventriculi acrum attemperatione solutionis continui vasorum narium unione, & nimii sanguinis fervoris & motus temperatione moderatione, consistet.

VII.

Itaque primò sumat dragm. J. f. salis prunellæ, quod in vnc. ij. aq. plantaginis sit dissolutum: & porro præscribatur tale amigdalatum ad acrimoniam humorum temperandum; & vires restaurandum:

Ex amigdalar. dulc. vnc. j. f.

sem. 4. frig. maior. a n. dragm. j.

papaveris albi dragm. ij.

Cum aq. decoct. bord. q. f. F. Amigdalatum

ad l. 10, de quo subinde sumat vnc. ij. vel vnc. iv,

quantitatem.

Et

Et mox in nares inferantur turundæ ex cotonæ factæ,
& atramento, fuligine fumarii, & aceto relaceo, im-
butæ.

Ac præterea acetum rosaceum iu aures instilletur.

Item linteum, in aceto madefactum, collo frigidè erit
obvolvendum, & testibus adhibendum aliud linteum, aquâ
plantaginis frigidissimâ imbutum.

Ac ligaturæ arctiores brachiis & cruribus erunt injici-
ciendæ.

Cucurbitæ quoque hypochondriis & scapûlis sunt adhi-
bendæ; venæ sectio vero, ob magnam sanguinis emissi-
copiam, hic prætermittenda.

VIII.

Victus sit resumtivus ex ovis sorbilibus, iusculis galli-
naceis & vervecinis, cum pane candido & vino tenui o-
ligophoro. Motus corporis & vehementiora vetentur ani-
mi pathemata. Somnus sit paulo longior. Alvis sit at-
te vel natura laxior.

00 A 6396

ULB Halle
002 928 167

3



Stra

O L L A R I A.

acultas lœsa, corporis, non animæ.

Medicinæ finis.

n corpore humano nequeunt gigni.


na certa virginitatis.

uus non est suâ naturâ malignus.

â matre aliquandiu vivere potest.

x-rite

colorchecker CLASSIC



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,

QUORUM UNUS

Surditate, Tinnitu aurium, & Gra-
vitate auditus,

ALTER

Narium Hæmorragiâ

LABORAT:

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

Viri doctrinâ & experientiâ clarissimi;

H E N R I C I R E G I I,

Leip. Vlrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè ventilandam proponit

ELBERTUS GOYKENS, Amstelo-Batavus.

Ad diem 6. Decembris horâ locoque solitis.



Natura & Industriâ

TRAJECTI ad RHENUM,
Officinâ IOH ANNIS à NOORTDYCK, In Acad.
Typog. Anno 1648.

29